

Q. RHEMNI FANNI
PALAE MONIS DE PON-
deribus & Mensuris Liber.



PONDERA Pæonijs veturum
 memorata libellis
 Nosse iuuat: pondus natura loca-
 uit
 Corporeis, elementa suum regie
 omnia pondus,
 Pôdere terra manet, vacuus quo
 que ponderis æther

Indefessa rapit voluentis sydera mundi.
 Ordinar à minimis, post hæc maiora sequentur.
 Nam, maius nihil est aliud, quàm multa minuta.
 Semioboli duplum est Obolus, quem pondere duplo
 Gramma vocant, Scrupulum nostri dixere priores.
 Semina sex alij siliquis latitantia curuis,
 Attribuunt scrupulo, lentes veraciter octo,
 Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos
 Bis duo: sed si par generatim his pondus inesset,
 Seruarent eadem diuersæ pondera gentes,
 Nunc variant: etenim cuncta non fœdere certo
 Naturæ, sed lege valent, hominumq; repertis,
 In scrupulis ternis Drachmam, quo pondere docti
 Argenti facilis signatur pondus Athenis.
 Holceq; à drachma non re, sed nomine differt.
 Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis,
 Siciliquus: drachmæ scrupuli si adiectio fiet,
 Sextula quæ fertur, nam sex his vncia constat:
 Sextula cum dupla est, veteres dixere Duellam.
 Vncia fit drachmis his quattuor: vnde putandum
 Grammata dicta, quòd hæc viginti quattuor in se
 Vncia habet: tot enim formis vox Græca notatur,

DE PONDERIBVS

Horis quot mundus peragit noctemq; diemq;
 Vnciaq; in libra pars est, quæ mensis in anno.
 Hæc maior Latio libra est, genitiq; togatæ.
 Attica nā minor est, ter quinq; hæc deniq; drachmis,
 Et ter vigenis tradunt explierier vnam.
 Accipe præterea, paruo quam nomine Graij
 Minam vocitant, nostriq; Minam dixere priores,
 Centum hæ sunt drachmæ, quod si decerpseris illis
 Quattuor, efficies hanc nostram deniq; libram.
 Attica que fiet, si quartam dempseris hinc, Mna.
 Cæropium superest post hæc, docuisse Talentum
 Sexaginta minas, seu vis, sex millia drachmas,
 Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis,
 Nam nihil his Obolo ve minus, maiusve Talento.
 Nunc dicam, solidæ quæ sit diuisio libræ
 Siue Assis, nam sic legum dixere periti.
 Ex quo quod soli capimus perhibemur habere,
 Dicimur aut partis domini pro partibus huius
 Vacua nam libræ si deest, dixere Deuncem:
 At si sextantem retrahas, erit ille Decuncis:
 Sed nullam reliquo nomen Semuncia certum
 Demptra dabit, neq; enim est huius Sescuncia triplex.
 Dodrantem reliquum vocitant quadrante retractos
 Cumq; triens desit, Bessëm dixere priores.
 Iidem Septuncem dempto quincunce vocarunt.
 Post hæc Semissis solidi pars maxima fertur:
 Nam quæ dimidium superat, pars esse negatur,
 Vt docuit tenui scribens in puluere Musa.
 Cætera dicta prius quibus est semuncia maior.

De ponderibus, siue mensuris humidorum, & frugum.

ET de ponderibus, superest pars altera nobis,
 Humida metiri, seu frugum semina maui,
 Cuius principio nobis pandetur origo.

Pes longo spatio latoq; notetur in anglo,
Angulus vt par sit, quem claudit linea triplex.
Quattuor ex quadris medium cingatur inane.
Amphora fit Cubus, quam ne violare liceret,
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.
Huius dimidium fert Vrna, vt & ipsa Medimni
Amphora, terq; capit modium, Sextarius istum
Sex decies haurit, quot soluitur in digitos Pes,
At Cotylas quas, si placeat, dixisse licebit.
Heminas recipit geminas Sextarius vnus,
Qui quater assumptus fit Graio nomine Chœnis.
Adde duos, Chus fit vulgo, qui est Congius idem,
A quo sextarii nomen fecisse priores
Crediderim, quod eos capiat sex congius vnus.
At Cotyle cyathos bis ternos vna recepat,
Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur,
Bis quinq; hunc faciunt drachmæ, si appêdere tētes
Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad illas.
At Mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri,
Quam vocitant Cyanem, capit hæc cochlearia bina.
Quod si mensuræ pondus componere fas est,
Sextarii Cyathus pars est, quæ est vncia libræ,
Nec non oxybaphi similis Sescuncia fiet.
Siciliquumq; tibi mystro simulare licebit.
Cochlear extremû est, Scropuliq; imitabitur instar.
Attica præterea dicenda est Amphora nobis,
Seu Cidus, hanc facies, nostræ si adieceris urnam.
Est & bis decies quem conficit amphora, nostris
Culleus, hac nulla est maior mensura liquoris.
Est etiam terris (quas aduena Nilus inundat)
Artaba, cui superat modii pars tertia post tres,
Nanq; etiam modiis explebitur Artaba triplex.

De ponderibus variorum liquorum, & aquarum.

DE PONDERIBVS

Illud præterea tecum cohibere memento;
 Finitum pondus varios seruare liquores,
 Nam libræ (vt memorât) bessem Sextarius addet,
 Seu puros pendas latices, seu dona Lyæ.
 Addunt semissem libræ labentis oliui,
 Selibramq; ferunt mellis superesse bilibri.
 Hæc tamen assensu facili sunt credita nobis:
 Nanque nec errantes vndis labentibus amnes,
 Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
 Manantes par pondus habent: non deniq; vina,
 Quæ campi aut colles nuperve aut antè tulere,
 Quod tibi mechanica promptū est depromere musa.
 Ducitur argenti, tenuiue ex ære cylindrus,
 Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
 Cui cono interius modico pars ima grauatur,
 Ne totus sedeat, totusve supernatet vndis,
 Lineaq; à summa tenuis descendit ad ima
 Ducta superficie, tot quæq; in frustra secatur,
 Quot scrupulus grauis est argenti arisve cylindrus,
 Hoc cuiusque potest pondus spectare liquoris.
 Nam si tenuis erit, maiori mergitur vnda:
 Sin grauior, plures modulos superesse notabis:
 Aut si tantundem laticis sumatur vtrinque,
 Pondere præstabit grauior: si pondera secum
 Conueniunt, tunc maior erit, quæ tenuior vnda est.
 Quòd si ter septem numeros texisse cylindri
 Hos videas latices, illos cepisse ter octo,
 His drachma grauius fatearis pondus inesse.
 Sed refert æqui tantum conferre liquoris,
 Vt grauior superet drachma, quantum expulit vnde,
 Illius aut huius teretis pars mersæ cylindri.
 Hæc de mensuris, quarum si signa requires,
 Ex ipsis veterum poteris cognoscere chartis.

De inuentione argenti, auro in vna massa permisti.

N Vunc aliud partum ingenio trademus eodē.
Argentum fuluo si quis permisceat auro,
Quātū id sit, quove id possis deprēdere pacto
Prima Syracusij mens prodidit alta magistri.
Regem nāq; ferunt Siculum, quam uouerat olim
Cœlicolum regi, ex auro statuisse coronam.
Compertoq; dehinc furto, nam parte retenti
Tantundemq; argenti opifex immiscuit auro,
Orasse ingenium ciuis, qui mente sagaci
Quis modus argenti fuluo latitaret in auro,
Repperit, illa sum quod diis erat antè dictum.
Quod te quale fiet, paucis (aduerte) docebo.
Lancibus æquatis quibus hæc appendere mos est,
Argenti atq; auri, quod edax purgauerit ignis,
Impones libras, neutrum ut præponderet; hasq;
Submites in aquam, quas pura ut ceperit vnda,
Protinus inclinat pars hæc, quæ sustinet aurum,
Pensius hoc nanq; est, simili crassius vnda.
Ac tu silete iugum, mediūq; è cardine centri
Interualla nota, quantum discerpsit illinc,
Quotq; notis distet, suspensio pondere filum.
Fac drachmis distare tribus: cognouimus ergo
Argenti atque auri discrimina, denique libram
Libra tribus drachmis superat cum mergitur vnda.
Sume dehinc aurum, cui pars argentea mista est,
Argentiq; meri par pondus, itemq; sub vnda
Lancibus impositum specta: propensior auri
Materies subsistit enim, furtumq; docebit.
Nam si ter segetis superabitur altera drachmis,
Sex solas libras auri dicemus inesse,
Argenti reliquum, quia nil in pondere differt.
Argentum argento, liquidis cum mergitur vndis,
Hæc eadem puro deprēdere possumus auro.
Si par corrupto pondus pars altera gestet.
Nam quoties ternis pars illibita grauarit
Correptam drachmis sub aqua, totidem esse notabis

DE PONDERIBVS

Argenti libras, quas fraus permiscuit auro.
Pars etiam librę quęuis si forte superfit,
Hęc quoque drachmarum simili tibi parte notetur.
Nec non & sine aquis

FINIS.



PATAVII



